



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Deum esse, posse demonstrari communis est Theologorum opinio. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

CAPVT I.

Error Atheorum.

Supponendum tanquam notissimum in hac questione nobis erat, Deum esse: solum autem in disputationem reuocandum, quod S. Thom. in his articulis proposuit. Verum cum magna turba Atheistarum hac nostra etate in Ecclesiam intruerit, necessarium duxi, huius erroris auctores in hoc cap. referre. Omnium ergo primi Atheistae, si credimus Ciceroni li. i. de Nat. Deor. in prin. Plutarcho lib. i. de placitis Philosoph. c. 7. Lactantio lib. i. diuinar. instit. c. 2. & lib. de ira Dei, c. 9. Eusebio 1. 4. de demonstr. Euangel. c. 6. & Theodoro to lib. 3. Graecis. affectum. in prin. fuerunt Protogoras qui Deum esse in dubium vocauit, & Diagoras, Melius, Cyrenaicus, Theodorus, & alij qui id expresse negarunt: ideoque athei, quasi sine Deo dicti sunt. In ea vero sententia hoc nostro seculo multi haeretici plene conuincuntur. Vt enim restantur Hedio. in epist. ad Philippum Melanc. & Lindanus in suo Dubitatio, dum pauci homines huius temporis maxima inconstantia ex Catholicis sunt Lutherani, ex Lutheranis Zuingliani. & ex his Caluinistae, atque singulas sectas experimuntur, & profitentur, in profundum malorum prolapsi Deum esse negant. Hi Atheistae iam nunc Politici dicuntur, quod aliarum rerum procuracionem non habeant, quam earum, quae ad externam reipubl. gubernationem pertinent; de religioso autem cultu ea ratione dumtaxat solliciti sint, quatenus ad continendos populos in ciuili disciplina, & obedientia arbitrio humano expedire iudicauerint. Quae falsa simulatio pietatis ex ipso Atheismo plane profecta est.

Hac de re Machiauellus cuius Florentinus non multis ante annis librum edidit, qui statim publico edicto inquisitorum iure optimo interdictus fuit: eius assidua lectione, & doctrina, in qua non parum profecerat, Henricus III. Rex Galliarum permotus, pessimos mores, & haereticos in suo regno diu tolerauit, & si credendum est pijs, & Catholicis quam plurimis illius regni, dum ex una parte se Catholicum simulauit, & ex alia haeticorum mores eo animo sectatus est, ut summa pace, & imperio regnum gubernaret, totum crudeliter vastauit, & in seipsum diuisit, donec ipse infelicissima morte vitam finiuit: ex qua ciuili seditione maxima pars adhuc superest belli & aerumnarum: ut vel inde sibi persuadeant Politici, quam parum prosit, imo quantum noceat Atheismus temporali paci, & gubernationi regni, quam solam, ad hominum felicitatem sufficere, arbitrantur.

Huius vero sectae permultos esse Geneuae in Ecclesia, quam dicunt Italicam, ex eo colligit Lindanus loco allegato, quod cum Caluinistae de abolendo semel Pontificatu Romano, purgatorio, aliisque dogmatibus inter se consultarent, vnus insignis eorum magister dixit, *Afferamus animam vnam cum corpore interire, sic purgatorium cum Missa, & Romano Pontifice sequel. abolebimus.* Et sane qui semel in eum errorem adducitur, ut animam hominis putet esse mortalem, facile in Atheismum declinabit.

Vsq. in I. partem Tomus I.

CAPVT II.

Non posse euidenter ostendi, Deum esse, arbitratur Alliacensis.

Superuacaneum duxi testimonijs Scripturarum, Patrum, Philosophorumque gentilitum, & communi omnium nationum consensu hunc errorem confutare: nam haec omnia facili negotio Athei contemnent: Catholicis vero adeo trita sunt, ut opus non sit singula speciatim referre: satis igitur sit, illad in memoriam reuocare, quod nulla haecenus tam barbara natio fuit, quae numen aliquod non agnosceret, cui cultum deferret, & inuocaret, ut merito dixerit Epicurus praeced. disp. cap. i. allegatus, nullum fuisse genus hominum, quod non haberet sine doctrina anticipationem quandam Deorum. In huius veritatis confirmationem innumera congerit Ethnicorum testimonia Engubinus lib. i. 1. & 6. de perenni Philosophia. Rationibus igitur solum nobis agendum est, nec probabilibus dumtaxat, & topicis argumentis differendum, sed demonstrationes euidenter in medium sunt afferendae. Quoniam vero inter Catholicos, qui Deum esse fatentur, nonnulli in dubium vocarunt, an Deum esse demonstrari possit, priusquam rationes afferantur, haec difficultas examinanda est.

Fuit autem sententia quorundam, quam memorat S. Thomas i. contra gent. c. 22. qui affirmabant, demonstrari non posse, sed sola reuelatione constare Deum esse. Hanc tribuunt recentiores Rabbino Moyse lib. 3. cap. 6. Ferrariensis tamen i. contra gent. cap. illo. 12. solum dicit Rabbini illum huius sententiae meminisse, quam sane ex Scholasticis secutus est Alliacensis in q. 3. art. 2. lit. x. adhibito quodam temperamento. Afferit enim, Deum esse, euidenter demonstrari non posse, esse tamen naturaliter probabile: quare omnem Dei notitiam non refert in supernaturalem reuelationem: neque vero negat eam probabilitatem maximam esse, & quae omnibus statim appareat, ut superiori disputatione expositum est; sed solum affirmat, nullam Dei notitiam posse naturaliter ad euidentiam peruenire.

Hanc autem sententiam praecipue probat diluendo rationes, quae tanquam euidentes afferri solent. Deinde confirmari potest hoc argumento, quod ipse tertio loco adducit in principio quaestionis. Non est nobis euidenter notum, Deum esse vnum, ergo neque Deum esse: perinde enim est demonstrare Deum esse, atque vnum esse, quoniam nomine Dei nil aliud intelligimus, quam vnum quoddam ens infinitum supra omnia entia.

CAPVT III.

Deum esse posse demonstrari, communis est Theologorum opinio.

Posterior sententia, quam censeo veriotem, communis est inter Theologos, qui docent ratione naturali demonstrari posse, Deum esse. Sic tradunt S. Thomas, Caietan. & recentiores in hoc art. & i. contra gent. cap. 12. & 13. & Ferrarien. ibidem. Albertus i. p. q. 1. 7. i. p. quaestionis, Richard. in i. d. 3. a. 1. q. 3. Agidius q. i. art. 3. Scotus in i. dist. 2. q. 2. §. Ad 1. quael. Marfil. in i. q. 5. artic. 1. Henric. in Sum. artic. 23. q. 4. Inter hos autem Agidius non eodem modo, atque alij, eam defendit: cum enim

H

existi-

Sine doctrina apud omnes gentes fuit anticipatio Dei. Engubinus.

Rabbi. Mo.

Alliacensis.

Argumentum pro sententia Alliacensis.

Verior sententia. S. Thomas. Caietan. Ferrarien. Albert. Richardus. Agid. Scotus. Marfil. Henricus.

existimet, ut vidimus præcedenti disputatione, esse per se notam illam propositionem, *Deus est*, non vult concedere, eam omnino demonstrari posse, sed omnes demonstrationes ad hoc solum afferri, ut explicetur quid nomen, *Deus*, significet: quo explicato statim per se notum est, ipsum esse. Et certe, si rationes hoc solum efficerent, propositio illa non vere demonstraretur, venim rationum nullus assensus deduceretur, sed sola terminorum explicatio. Ratio vero, ob quam ille putat, eam propositionem non demonstrari modo prædicto, est huiusmodi. Esse Dei est ipse Deus, ergo de ipso demonstrari non potest ipsum esse: idem enim esset id, quod demonstratur, & de quo demonstratur: tum etiam probari potest hoc modo. Si illa propositio explicatis terminis per se generat assensum sui, demonstratio adueniens nihil operabitur ad assensum.

*Quomodo
illa propo-
sio non sit
demonstra-
bilis secun-
dum Ægidium.*

*Refellit
Ægidius.*

Verum in utroque fallitur Ægidius: primum cum ait, prædictam propositionem esse per se notam, ut superiori artic. conuicimus. Deinde cum asserit, eam demonstrari non posse: id quod his rationibus improbat. Primo, licet idem sit secundum rem Deus, & esse illius; à nobis tamen tanquam diuersa concipiuntur, ac proinde componimus compositionem, in qua vnum de alio enunciamus: cum ergo hic agatur de demonstratione in intellectu viatoris, nihil obstat potest vnitas, & simplicitas Dei, quo minus à nobis demonstrari possit, Deum esse. Doctrina hæc est S. Thomæ primo contra gent. cap. 12. §. *Neque hoc debet moueri: vbi docet prædictam demonstrationem non assumere medium in ipso Deo, sed ab effectibus procedere.*

S. Thomas.

Secundo argumenta, quæ afferuntur, non explicant, quid nomine, *Deus*, significetur, sed confirmant intellectum contra omnem dubitationem in assensu illius propositionis: nam facta explicatione nominis, aliquis dubitare potest, an sit Deus, contra quam dubitationem demonstratio intellectum determinat.

Tertio etiam si concederemus, esse per se notam prædictam propositionem, posset nihilominus intellectus evidenti demonstratione à posteriori iuari; si, inquam, prædicta propositio esset per se nota non evidenti, quam dicunt intuitiuam, neque ita manifesta, sicut sunt aliæ res, quæ sensui nostro propinquiores sunt. Quare Albertus, qui concessit hanc propositionem esse per se notam, affirmat nihilominus, demonstrari posse à posteriori.

Albertus.

Alij igitur Doctores allegati pro hac sententia censent, demonstrari posse non sola terminorum explicatione, sed ratione etiam, quæ moueat ad assensum rei virtute præmissarum. Inter eos autem Scotus vtrius distinctione quadam: inquit enim, si sermo est de hac propositione secundum se, demonstrari potest, etiam demonstratione propter quid; nobis tamen viatoribus solum demonstratione à posteriori.

*Ex parte re-
fellitur.*

Cæterum id, quod asserit de demonstratione propter quid, nullo modo verum est. Hæc enim propositio secundum se, hoc est abstracta ab intellectu viatoris, qui cognoscit illam per alias species, & posita in intellectu videntis ipsam, absque dubio medio vacat: imo vero non est propositio composita ex subiecto, & prædicato, sed simplex quadam cognitio: quare nec discursus, ne-

dum demonstratio vlla circa illam esse potest: ex quo principio disput. 22. c. 2. probabimus. Angelos nihil per discursum cognoscere ex ijs, quæ ipsis simplici intuitu nota sunt. Est itaque vera hæc posterior sententia, iuxta communem sensum aliorum auctorum, qui solum loquuntur de demonstratione à posteriori, & de intellectu viatorum. Quam opinionem ad id veram existimant recentiores Thomistæ, ut priorem merito censcant temerariam, quam S. Thomas 1. cont. gen. S. Thomas, res, c. 12. errorem appellauit.

Probant vero Scripturæ, & Patrum testimonijs namque ad Rom. 1. dicitur: *Inuisibilia enim ipsius, scilicet Dei, a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Vbi vrgent verbum, *conspiciuntur*, quo aliquid maius, quam assensum obcurum putant significari. Subdit Paulus, *ita ut sint inexcusabiles.* Ex quo sic argumentantur: si cognitio Dei solum esset obcura, & probabilis, essent excusabiles, quia dubitare iure poterant. Simile est illud Sapient. 13. *A magnitudine enim speciei, Sapient. 13. & creatura cognoscibiliter poterat creator omnium videri.* Qua de causa Sapiens vanas appellat gentes, quæ Dei notitiam ex vniuersi fabrica non sunt allecutæ. Notant autem prædicti Doctores verbum, *videri*, quod assensum euidentem significat. Adducunt etiam illud Psal. 8. *Cæli enarrant gloriam Dei, & Psal. 88. Conspirebuntur cæli mirabilia tua, & Psal. 88. Actor. 14. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, scilicet Deus, benefaciens nobis de cælo, dans pluuias, &c.*

Verum hæc omnia meo quidem iudicio non probant propositum. Scriptura enim his locis, & similibus solum contēdit, semper fuisse sufficiens Dei testimonium ex mundi fabrica, pulchritudine, & alijs effectibus, ut ab omnibus cognoscere: vtrum autem notitia evidenti, an solum probabilissima, nihil curat. Quod vero vtrius verbo, *conspiciuntur*, & verbo, *videri*, parum interest: hæc namque communi quadam, & magis vñtata significatione, quamlibet intellectus notitiam cum assensu determinato significant: in qua communis significatione hæc, & similia Scriptura passim vsurpat.

Præterea, quod dicit Paulus & Sapiens insinuat, Gentes, quæ Deum non cognouerunt, excusari non posse, non probat potuisse omnes demonstrationem habere. Ad hoc enim, ut non possent excusari, satis est, si probabilissimam quandam, & prudentem notitiam habere potuissent. Sic enim hanc habentes notitiam, Deum verum colere debebant. Nam si aliquis modo Christum negaret, non propterea excusari non posset, quia euidentem rationem illius habere potuisset, sed quia fide, & notitia prudenti potuisset credere. Ex eo ergo gentes excusari non possunt, quod rationibus probabilibus apud prudentes non acquirerunt. Quocirca Nazianzen. orat. 14. quæ est 2. de Theologia, aliquantulum à principio inquit: *Etenim quod Deus sit, ac princeps quædam causa, quæ res omnes procrearet, atque conseruet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docet; illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt: hæc autem, dum per res oculis subiectas, ac recto ordine collocatas, auctorem earum coniectura quadam colligit.* Vbi non dixit, evidenti ratione, sed coniectura quadam ex rebus visis colligi, Deum esse. Est enim optima ratio, etiam si non sit omnibus evidens, ex rebus creatis deducta, quæ fere omnium

*Ex prædictis
locis non re-
ste probatur.*

Gentes inexcusabiles cum dicantur.

*Nazianzen.
pulchrum
Nazianzen.
testimonium.*

9

omnium animis statim hæret, Græcè videtur Nazianzenus participio *συνομιζέμεθα*, à verbo, *συνομιζέμαι*, quod non significat euidenter colligere, aut demonstrare, sed simpliciter ratiocinari. Hæc igitur sententia confirmanda solum nobiserit seq. cap. adductis rationibus ad probandum, esse Deum, quas demonstrationes esse putamus. Nunc argumentis Alliacenſis satisfaciendum est.

Præsumptum nullius esse momenti, ex his quæ dicemus seq. cap. constabit. Ad aliud vero respondeo, etiam si demonstrari non possit, Deum esse vnum, posse tamen demonstrari Deum esse, hoc est, aliquid numen super omnia visibilia, & creata, vt sequenti cap. videbimus. Deinde respondeo, demonstrari posse Deum esse vnum, vt quæst. 1. patebit, non minus facile, quam Deum esse in rerum natura. Circa ea tamen, quæ diximus, & quæ sequenti cap. dicenda sunt, aduertendum est, talis naturæ esse demonstrationes, vt in eis casus, & euidentia requirenda non sit, quæ in Mathematicis reperitur: sed quam naturalis, aut Metaphysica, vel moralis scientia exposcit: ad hæc enim tria capita omnes, quas subinde adducemus, referuntur.

CAPVT IV.

Deum esse, rationibus demonstratur.

Enitendum nobis est, rationibus ductis solum ex principiis naturalibus, Deum demonstrare: nam Theologicis rationibus contra Atheos frustra disputaremus. Cæterum, cum plurimæ afferri soleant, quas congerunt S. Thomas 1. contra gent. c. 13. & in art. 3. huius questionis, Henricus, & Scotus locis allegatis, omnis nonnullis, eis solum vtemur, quæ efficaciores sunt, & Theologum magis decent. Illud autem præmittendum duxi, quod à viris magnæ auctoritatis accepi, nempe in Gallia, & Anglia, vbi nunc Atheismus maxime viget, perditissimos homines ab Atheismo facile reuocari, dum Magicis artibus, in aliis, aut in seipſis, mirabiles effectus experiuntur, qui omnem humanam, & visibilem potentiam superant: quibus coacti credunt præter ea, quæ sub aspectum cadunt, aliquid spirituale, & potentioris virtutis esse: quo admissio facilius in eam sententiam adducuntur, vt numen aliquod fateantur: hoc enim ideo negant, quod nihil aliud præter ista corpora, & visibilia esse putent: peiores quidem Seducæis, qui quancumque spiritum creatum, & animæ immortalitatem negabant, Deum tamen sacrificiis agnoscebant. Quare testantur viri grauissimi eo magis in Gallia, & Anglia hominis ab Atheismo detineri, quo audius Magicis artibus student: quod nisi inter hæreticos Deus permisisset, pene omnes iam in Atheismo versarentur.

Prima igitur demonstratio talis est. Omne, quod est in vniuerso, aut est à se, aut ab alio: prius dici non potest: videmus enim permulta non tantum ab aliis fieri, sed etiam conferuari, & multis indigere, vt à contrariis se defendant: neque omnia ab alio pendere possunt: sic enī fieret, vt causarum ordo infinitus esset: id quod omnes philosophi cum Aristotele 2. Metaphysic. cap. 2. merito putant absurdum. Primum, quoniam essentialis ordo causarum efficientium, de quibus modo loquimur, non posset per infinitam seriem, virtutem superiorum ad inferiores deferre.

Vsq. 1. partem Tomus 1.

Tum etiam non videtur possibile, vnamquamque rem infinito numero causarum ad sui conseruationem indigere: habet enim vnaquæque determinatam naturam, ac proinde determinatam etiam postulat causam, quæ huius, vel illius naturæ sit: quare à confusa, & infinita multitudine causarum pendere non potest.

Ad hæc, cum nihil primum in eo ordine causarum assignetur, & vnaquæque ab alia pendeat, cogimur fateri totam hanc rerum machinam veluti à casu, & sine causa ita esse dispositam, cum nihil sit firmum, & stabile, ad quod cætera reuocentur: cuius natura, vel voluntate cætera producta sint, & conseruentur: nulla enim esset causa, nulla ratio, ob quam rerum vniuersitas serie illa infinita esset disposita: tum quia non esset voluntas superior: tum quia nulla esset natura: quia natura in vnaquæque re determinata est, ac proinde ex se determinatam causarum multitudinem postulat. Omnium autem simul non esset vna natura, quæ talem infinitum ordinem exposceret, vt manifestum est: esset igitur quasi Chaos, & maxima confusio, cum qua hæc rerum pulchritudo, & conuenientia cum debita contrarietate, quam videmus, constare non posset.

Neque vero contendo modo pluralitatem deorum excludere: de hoc enim quæst. 11. differendum est: neque an sit corpus, vel spiritus: de quo sequenti disp. dicemus: solum generatim probare volo, in hac rerum vniuersitate esse numen diuinum, id quod prædicta ratione facile colligitur. Si enim est ens aliquod, quod non sit ab alio, sequitur necessario semper fuisse: neque enim ab aliqua causa determinari potest, vt in tempore incipiat, & aliquando desinat. Sequitur præterea, illud ens esse causam. Si enim in effectibus, & causis status dari debet, tandem ad primam, quæ sit huiusmodi, deueniendum est: hæc autem proprietates soli Deo conueniunt: ergo qui facitur, hoc modo esse ens necessarium, seipsa concedit Deum esse, licet ipsum Dei nomine non appellet.

Hæc ratio ex principiis metaphysicæ, & philosophiæ, quæ Aristot. 2. met. cap. 2. tradidit, petita est. Aristoteles enim probat impossibile esse processum in infinitum in causis efficientibus per se ordinatis. Eam etiam retigit S. Thomas, & alij Scholastici commemorati, & Damascenus 1. de fide, cap. 3.

Secunda demonstratio ex philosophia morali deprompta huiusmodi est. Qui Deum è medio tollit, necesse est, vt etiam auferat præmia virtutum, & vitiorum supplicia: post hanc vitam: quis enim index in ea causa esse poterit? præsertim quod qui Deum negat, immortalitatem etiam animæ negare debet. His enim sublatis, virtus, quæ etiam perditissimi homines in aliis venerantur, sine digno præmio maneret. Accidit enim interdum magis modestos, & studiosos hanc vitam miserrime transigere. Si ergo post mortem præmium vere laudis, quod natura sua virtus exposcit, nullus retribuere, manebit virtus sine præmio: virtutem autem præmium mereri facinorosi etiam fatentur. Felicitior quoque esset ille, qui in vitis nutritus cutem curaret, quandoquidem nulla eum manerent supplicia. Quæ ergo semel negat Deum, ac proinde animæ immortalitatem, auferet etiam cultum erga Deum, religionem iuramenti, denique omnem virtutem è medio tollit, optimum enim

Ordo infinitus, & essentia ipsa, ad naturam infinitam, non potest pertinere.

12

Ens quod non est ab alio Deum est necessarium.

Aristoteles.

S. Thomas. Damasc.

Secunda moralis demonstratio.

13

14

num